Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

fuerat. ut sine strepitu fame puniret eos fecit fieri foveam intra domum eorum. Et cum decollari eos iussisset; statim involui et reponi eos iussit. faciens hanc famam quod iussu cesaris missi fuissent in exilium. Nullum enim signum interfectionis eorum inventum est super terram. Statim autem iulianus in bello persarum interfectus est. Ioviniano gratia dei christianissimo imperatore. aperte sancte ecclesie et cepit religio christiana gaudere. Demones autem ex obsessis corporibus intra domum iohannis et pauli eiciebantur confitentes sanctam passionem eorum ita ut unicus filius terentiani qui eos nocte decollavit. veniret intra domum sanctorum et clamaret per os eius demonium quod paulus et iohannes incenderent eum. Tunc terentianus veniens prostravit se in faciem clamans et nesciens quid faceret homo paganus iussu cesaris adimpleverit; Unde factum est. ut dato nomine suo proximo die pasche perciperet. gratiam christi. Quod cum fecisset et post baptismum penituisset assidue orans et flens ad locum suum. in quo corpora requiescunt. sanctis dei filius eius mundatus est. et ab ipso terentiano descripta est passio ista sanctorum ad laudem domini nostri ihesu christi qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat in secula.

V. k. iulii

Septem dormientium

In tempore illo regnante impio decio imperatore facta est ingens persecutio christianorum. Decius autem obpugnans christianos descendit in civitatem constantinopolim. et rursus in kartaginem et ephesum. Propter quod congregata est ante eum omnis multitudo civitatis. et ecclesia fidelium dispersa est. Quando vero ingressus est decius in ephesum. exaltatum est cor eius nimis. et cepit edificare templa ydolorum in medio civitatis et precepit ut omnis populus et omnis dignitas sacrificarent cum eo ydolis suis. Et congregabantur ex omnibus civitatibus et maculabantur corpora eorum sacrificiis. Subito vero precepit decius imperator ut initio diei comprehenderentur christiani. et compellerentur ad sacrificandum. Pagani autem et iudei adiungentes se militibus accusantes persequebantur et ex domibus et speluncis cunctisque antris eiciebant eos impellentes usque quo ducerent eos ubi erant populi congregati et sacrificantes cum imperatore. Quidam vero ex christianis timentes tormenta et mortem inclinati ante populum immolabant ydolis. Quod fideles audientes gemebant vehementer. et lugebant animas eorum. Inter huiusmodi vero arbitrares penarum fideles ac firmi existebant viri. Maximianus. Malchus. Martinianus. et Dyonisius. Iohannes. et Serapion. et Constantinus. Qui firmi in fide filii dei in his deprehendebantur portantes signaculum christi in corpore suo. Videntes autem tormenta que fiebant christianis magis se in vigiliis et ieiuniis atque orationibus coartabant. et propensior cura erat eis animas suas domino commendare. Et cum hec secrete agerent. in palatio tamen officii dignitatem portabant. et ita utrisque partibus se aptabant. ut sine querela redderent deo ea que sunt dei. et cesari que sunt cesaris. Et hec omnia faciebant propter imperatorem. eo quod essent officiales et primi ac nobiles. et ex senatu. Tempore vero sacrificii adveniente quando imperator et populus veniebant ad victimas ydolorum. illi abscondebant se in occultis. et ingrediebantur in domum orationis. et prosternentes capita sua in terram flebant et mittebant pulverem super capita sua. et in orationibus et lacrimis ingemiscebant in conspectu dei. Cumque hec per plurimum tempus peragerent. pervenit sermo ad imperatorem. et coram optimatibus eius. Dehinc iam socii eorum observabant eos in hora victime quando omnes compellebantur ut sacrificarent ydolis. Cumque in hora sacrificii maximianus cum sociis deessent. euntes quidam optimatum invenerunt totos vii. pueros in uno cubiculo orantes. Erant autem intra prostrati facies eorum et capita obtecta erant intra et plena pulvere et erant plangentes et commendantes animas suas in conspectu dei. Hec videntes satellites et inimici veritatis. ingressi ad imperatorem dixerunt ei. Auguste invictissime in sempiternum vive in decore imperii tui. Tu ex longinquo colligis homines ad sacrificium deorum et ecce proximi tui despiciunt edictum tuum et preceptis tuis non obediunt. sed consuetudinem christianorum assecuntur et non sacrificant. Maximianus enim filius prefecti ipse fuit filius imperii. et sex socii eius qui sunt primi civitatis. ipsi despiciunt regnum tuum. et decreta tua contempnunt. Hec audiens imperator iratus est vehementer. et iussit eos adduci in conspectu suo. Ut autem fuerunt adducti erant oculi eorum lacrimis pleni. et pulvis super capita eorum et erant orantes et deprecantes in conspectu dei. Et dixit eis imperator. O fideles nostri. quare non permansistis in supplicatione et sacrificio deorum in quibus omnis mundus proficiat ab eis cur non estis assimilati fortissimis primatibus locus vestris. Nunc ergo clementia nostra non pensans puerilem intelligentiam vestram. indulgentiam de preteritis tribuit. Modo aggredimini et sacrificate sicut omnes ho